Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

patris agricola sic oliua in domo
dei fructifera. quod seminauit
in lacrimis in gaudio recepit.
qui quot deo spiritales filios
uerbo salutis peperit. quasi tot anima-
rum manipulos ueniens in re-
surrectionis exultacione portabit.
Ecce fidelis ille domus eterne
dispensator et prudens. in gaudi-
um domini sui introm(iss)us feliciter
exultat. quia susceptam uerbi
mensuram familiam domini fideliter
aluit. et sapienter instruxit. quia
gratie collatum sibi diuine talentum in
aliorum edificacione multiplicatum
domino restituit. Ad cuius uitam tem-
poralem inuestigandam. miracula
que per eum dominus operatur nos diligen-
cius hortantur. Vita sancti
virgilij iuuauensis Episcopi.

Beatissimus igitur
Virgilius in hy-
bernia insula
de nobili ortus
prosapia. litterarum
studijs ita ani-
mum applicuit. ut inter doctores
sui temporis atque clymatis.
doctissimus haberi potuisset.
Morum eciam honestate nichilo-
minus clarescere studuit. ut tamen
non uirtute relicta inuidiam quo-
rumlibet placando. dictum illud
exoptabile in se digne meruisset
transferri. Dilectus deo et hominibus
cuius memoria in benediccione. cuius nomen
exquireretur a generacione in genera-
cionem. Ut itaque dominus miram suam
a progenie in progeniem
ostenderet. seruum suum Virgilium
strenuum utique domus uinee plan-
tatorem. et futurum Karinthie apostolum.
de natali solo hybernie in franciam
misit. Ubi ab illustri francorum
rege pipino qui maior domus
dicebatur. apud Karisiacum
honeste exceptus est fuit. Et quia
litterarum sciencia cum morum honestate
in ipso excubauit. rex eum sic
tubam euangelice predicacionis libenter
audiendo. secum fere duobus annis
propter dei amorem retinuit. Temp-
oribus uero Otilonis bauuariorum ducis.
qui tunc cum tota norica prouincia
subiectus fuit predicto regi fran-
corum. salzburgensis ecclesia que an-
tiquo uocabulo a iuuauo
dicta fuit iuuauia. proprio carebat
episcopo. sed rex pippinus princeps
per omnia christianissimus ad incre-
mentum ecclesie dei non modico
suspirans desiderio. episcopatum
salzburgensem pro debito regie
magnificencie sancto concessit Virgi-
lio. eumque prenominato duci noricorum
utpote amico karissimo transmisit.
summo cum honore excipiendum.
Vir itaque dei dissimulata or-
dinacione ferme duorum annorum
spacijs habuit secum laboris et
corone participem episcopum comitantem
de patria nomine dobda. ad persoluen-
dum episcopale officium. Postea ad
instanciam populi necnon assidua